



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Praxis Episcopalis**

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorvmqve Vicariorum munus; sed  
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum  
ac dubiorum indies occurrentium Resolviones ... quām brevissimè  
continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Medici.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10447**

aliter dicetur inferius in ver. *parochus*, §. 3.

Tertiò, quia dictum, presbyterum nullum posse adesse matrimonio contrahendo, nisi de licentia Ordinarii, vel parochi; dubitatur, an requiratur, ut ista licentia sit in scriptis, an sufficiat licentia generalis exercendi curam? Ad primum respondeatur, non requiri scripturam; ad secundum, quod sufficit, *Navar. conf. 13. nu. 2. loc. cit.*

Quartò, discessit parochus à sua parochia per modicum tempus sine licentia Episcopi sui, & reliquit in parochia pro cura aliquem Sacerdotem, vel Vicarium, an iste possit interesse matrimonio contrahendo, vel aliquis Sacerdos de licentia ipsius? Respondeatur, quod sic, per regulam, *subrogatus*, & *Nav. conf. 13. num. 4. loc. cit.* cætera de materia matrimonii, vide in ver. *parochus*.

Quintò, an matrimonium possit contrahi per interpretem? Respondeatur, quod sic, ita præter alios Covar. de spons. 2. par. c. 4. §. 1. nu. 3. similiter, & sine interprete, inter alienigenas, modo proferantur verba apta conjugio, gl. in capitulo, ex literis, il. 1. de sponsal.

### M E D I C I .

**M**edicinæ artem an exercere possit clericus? Respondeatur distinguendo cum *Navar. conf. 3. ne cler. vel mona.* nam si est in sacris, vel beneficiatus, non potest sine Papæ dispensatione, nisi erga miserabiles personas, pauperes, instanti necessitate, se ipsum,

& cognatos; in minoribus autem solus constitutus potest absque peccato, nisi ut laicus, *Navar. tract. de spol. §. 7. nu. 4. ver. 3.* quod nota pro materia spolio- rum.

### MENDICANTES.

Primo, Mendicantes, qui dicantur, & gaudent privilegiis mendicantibus concessis, vide bull. *Pii V. qua est 45.* & incipit, *Romanus*, ut sancti Dominici, sancti Francisci, sancti Augustini, & Servitæ, sancti Francisci de Paula, Bull. 48. & de eorum privilegiis, vide Bull. 30. que incipit, *Eis mendicantium*, & Bull. 14. que incipit, *Dum ob uberes*, & Gregor. XIII. Bull. 15. que incipit, *In tanta rerum*, & Bull. 135. que incipit, *Romanis*, congregatio sancti Hieronymi, Jesuitarum, Bull. 49. que incipit, *Romani Fratres*, Amadæorum unio, & Clarenorū, sub Ordine Fratrum Minorum, de observantia *Pii V. Bull. 54.* que incipit, *Beatus*, Greg. XIII. que incipit, *Ex benigno*, Societatis Jesu inter mendicantes comprehenditur, & gaudet eorum privilegiis, *Greg. xiii. Bull. 102.*

Secundo, Minores conventuales, ultra biennium in eodem conveatu manere non possunt, nisi sint sexagenarii, *Pius V. Bull. 67*, que incipit, *III. 4. Guardianatus*, per biennium, novitiis, nisi attingant decimun octavum annum, nimirū proprium habeant, nec laici recipi possunt, nisi habeant vigesimumquintum annum.

Tertiò, qui dicantur Monachi, qui fratres, qui mendicantes, qui Canonici Regulares, vide præter cæteros, *Jason.*